

etiam magis quam Capaccius, bonas cōpias pessum dederunt; Anonymus adeo compendia barbare solvere solet. Nihilominus auctorem hunc propter aetatem certe non neglegendum sedulo adhibui.

V. Et pleniora multo et emendatoria sunt collectanea SIRMONDI, quae extant in codicibus eius hodie Parisinis n. 1418. 1420 = Lat. 10807. 10809; usus iis est in appendice Gruterus. Earum auctoritate vel hodie imprimis standum est; optime enim titulos excepit et versuum ordinem in paganis certe plerumque retinuit.

VI. Andreas FERRARO in libro *del cemetero Nolano con le vite di alcuni santi che vi furono sepeliti* (Neapoli 1644. 4. pp. 112) elogia quaedam praesertim christiana rettulit passim luxata et interpolata. Ab eo pendet UGHELLIVS.

VII. HOLSTENIUS quoque inscriptiones quasdam Cimitilenses perite ut solebat descriptis; sed schedae in bibliotheca Barberina collocatae perierunt neque inde habemus nisi excerpta Mariniana.

VIII. Carolus GVADAGNI a. 1683 confecit librum (quem editum esse Remondinius ait, ego scriptum tantum vidi in bibliotheca Parascandolana) *storia di Nola sacra illustrata nel cimiterio e basiliche di S. Felice in Pincis.*

IX. Franciscus BLANCHINIVS in praefatione ad Anastasium bibliothecarium de vitis Romanorum pontificum (vol. I Romae 1718 fol.) Nolanas inscriptiones christianas quas edidit, eas accepisse eum a Matthaeo AEGYPTIO probabile est propterea quod in schedis Veronensibus ait n. 1258 Aegyptium sibi misisse a. 1705. Apographa non optima sunt, sed certe non interpolata. — Muratorio Gorio Maffeo COMVS, PROCACELLIVS, ARNOLFINIVS inter alia subsidia ex regno Neapolitano petita etiam Nolana quaedam subministrarunt, sparsa tamen et pauca. — Similia habet ANONYMVS NEAPOLITANVS qui mihi dicitur, id est codex nuper in bibliothecam publicam Neapolitanam intatus numero carens adhuc, inscriptus *Notizie istoriche della città di Nola*, in quo leguntur tituli n. 1237. 1245. 1269. 1272. 1273. 1344.

X. Iohannes Stephanus REMONDINIVS in edita historia ecclesiastica Nolana (*della Nolana ecclesiastica storia* vol. I—III. Neapoli 1747—1757 fol.) lapides Nolanos diligenter collectos edidit totamque rem

epigraphicam Nolanam egregie firmavit, quamquam in titulis lectu diffi- cilioribus non solum doctrinam et industriam, sed fidem quoque aegre desiderabis (v. n. 1254. 1338. 1354). Idem quotquot potuit lapides Nolanos in aedes Seminarii concessit, quorum hodie ibi non extant nisi qui speciosiores et pulchriores videbantur, reliquis in aedium instaurazione infeliciter absumptis. Quos ibi exposuit, eos exhibuit folio separato, quod invenitur interdum adiunctum ad historiae volumen III, edito post historiam absolutam hac praescriptione: *Iscrizioni che stanno nel museo del vescovile seminario di Nola*, neque loco neque anno editionis notato. Insunt complures lapides qui in historia desiderantur. — Quae pauca Nolana vulgavit LVPOLI in itinere Venusino, ex Remondinio sublegit.

XI. POCOCKIVS (1752) quae excepit Nolae, vix usquam pro- fuerunt.

XII. GIOVENAZZIVS Nolae quoque a. 1758 titulos excepit diligenter, quae exempla per Zaccariam ad Marinum delata extant in codice Vati- cano 9127.

XIII. Andreas AMBROSINI (*delle memorie storico-critiche del cimiterio di Nola libri tre.* Neapoli vol. 1. 2. 1792. 8.) pleraque ex Remondinio mutuatus pauca de suo addidit.

Ipse a. 1845. 1846 aliquoties Nolam adii eodemque reversus sum a. 1876. Amici quoque complures Brunnus, Galante, Duhnius, alii eodem advenerunt. Descripsimus igitur lapides, quorum copia nobis facta est; et quae ibi regnat monumentorum incuria neque saeculo progrediente deminuitur, sed magis crescit, fecit, ut multa et praeclera monumenta olim ibi visa hodie desiderentur. Id ad inscriptiones christianas quoque pervenit, quae in coemeterio antiquo, hodie Cimitile, prope Nolam in vetustissima basilica S. Felicis in Pincis plurimae reperiuntur. In iisdem praeterea cum esset difficillimum di- iudicare, quae quidem anno carerent, utrum huic libro convenienter an res medii aevi tractantibus relinquenda essent, in ea re meorum erro- rum veniam a lectoribus impetrare cupio. Epigramma S. Paulini, cuius reliquiae spectantur in basilica (Mur. 1871, 1), omisi, cum in eius ope- ribus suum locum teneat; eandemque ob causam non recepi carmen Damasi de S. Felice (Damasi opp. ed. Merenda p. 140. 230).

1233 [=1968] prope Nolam in pago S. Pauli in aedium quarundam fenestra SIRM.; in casali S. Pauli in marmore supra fenestram domus cuius- dam de lo vico ANON. a. 1591. Nolae in vico S. Pauli fragmentum GIORD.

SVF · A · PLAVTIVS · L · NONIVS	p. C. 29
T · SALVIUS · PARIANVS · A · TERENTIVS · II · VIR	
SEX · APONIVS · PROCVLVVS · Q · NOLCENNIVS · AED	
L · CASSIVS · LONGINVS · M · VINICIVS · COS	
5 SVF · C · CASSIVS · LONGINVS · L · NAEVIVS · SVRDINVS	
M · SENTIVS · RVFVS · Q · VIBIDIUS · SEDATVS · II · VIR	
P · SVBIDIUS · POLLIO · SEX · PARIANVS · SERENV · AED	
TI · CAESAR · AVG · V · COS	
10 SVF · VII · ID · MAI · Favstvs · CORNELIVS · SVLLA · SEX · TEIDIVS · CATVLL · COS	
SVF · K · IVL · L · FVLCLINIVS · TRIO · COS	
T · OPPIVS · PROCVLVVS · M · STAIVS · FLACCVS · II · VIR · ITER · Q	
M · ATINIVS · FLORENS · A · CLVVIVS · CELER · AED	
15 SVF · K · OCT · P · MEMMIVS · REGVLVS · COS	
CN · DOMITIVS · AHENOBARBVS · COS	
SVF · K · IVL · A · VITELLIVS · COS	
M · VALERIVS · POSTVMVS · Q · LVCEIVS · CLEMENS · II · VIR	
C · SENTIVS · SEVERVS · L · IPPELLIVS · ATTICVS · AED	
SER · SVLPICIVS · GALBA · L · SVLLA · FELIX · COS	
	p. C. 33

Sirmondis 1418 n. 38 (inde Grut. 1087, 1); Fab. Giordanus hist. Neap. ms.; Anonymus a. 1591 f. 54. 85'; Capaccius p. 885. Orelli 4033.

Vv. disposui ad Giord., nec multum differt Sirm. — 3 APONTVS Cap. — NOLCENNIVS Anon. Giord. Cap., NOLLENIVS Sirm. — 4 COSS Giord. — 6 nexum servavit Giord., SENCIUS Anon. — VIBIDIUS Anon. Giord., VIBIDIUS Cap., VIBIDIUS Sirm. — 7 POLCIO Cap. In fistula Stabiana n. 774 legitur P. Subidi Pollionis pr. u. — 8 T·CAESAR Cap. — Seiani nomen omissum est. — 11 L·OPPIVS Sirm. (cod.) solus. — fin. Q Grut. Cap., om. Sirm. (cod.) Giord. — 12 M·ATENIVS Anon., M·ANTONIVS Cap. — 13 OCTOB Sirm. (cod.). — 14 AENOBARBVIS Cap. — Camilli Scriboniani nomen similiter omissum est. — 16 LVCCEIVS Cap. — 18 Galba cum eo tempore quo fasces gerebat, Lucii praenomine usus sit, Servii postea demum resumpserit (v. vol. I n. 770; Sueton. Galb. 4), fasti hi non per annos quos referunt, sed tempore posteriore perscripti sint necesse est. Itaque v. 8. 14 non litarum subierunt, sed ab initio vacabant.